



8

MONUMENTUM LUGUBRE
F O E M I N Æ
NOBILISSIMÆ, OMNISQUE VIRTUTIS ET PIETA-
TIS CULTU CONSPICUÆ
DOMINÆ
**MARIÆ CATHA-
RINÆ ALEXANDRI**
V I R I
EXCELLENTISSIMI, CONSULTISSIMIQUE
DN.

DN. JO. SAMUELIS
STRYKII,

J.U. Doctoris & Professoris Juris in alma Friderici-
ana longe celeberrimi,

UXORI DILECTISSIMÆ,

d. 22. Novemb. 1700. pie & placide defunctæ
& ejusdem mensis d. 26. terræ demandatæ,
erectum

JUSTO HENNINGO Böhmer
Jurium Licentiato.

Halæ, typis CHRISTOPHORI ANDRÆ ZEITLERI, Acad. Typogr.



ÆTERNITATI:

* * *
Quisquis es,

Qui ad hoc monumentum accedis,
Et cujus ossa hic quiescant, sciscitaris,
Ex ipso lapide & cineribus mutis quære,
Sed non nisi querendo.

Durus hic lapis taciturnitate sua threnos sistit,
Et muti cineres, sub hoc lapide clausi loquuntur
Mortem

Sed quid dico mortem?

beatissimam vitam
in morte acquisitam

Fœminæ

Omnis virtutis & pietatis splendore, dum viveret, conspicuæ,
DNAE. MARIAE CATHARINAE ALEXANDRI,

Uxoris incliti

DN. IO. SAMUELIS STRYKII,

Uxoris dilectissimæ.

Judica mortalis,

Qui in vita tua mortem quotidie in corpore geris,

Et longiorem vitam ducendo

mortis simul semitam diutius calcas,

judica quæso

Utrum potius hanc jacturam deplorare

An vero beatissimæ animæ applaudere debeas?

Nil equidem prohibet

utrumque amplecti

Est enim pius discessus lacrymabilis

sed non sine ineffabili gaudio.

Luctuosus

sed non absque summa & æterna tranquillitate.

Imo discessus absque discessu.

Non enim discedit

Cujus memoria semper in benedictione manet & viget.

Et vero cur jacturam hanc non deplorares in pie defuncta?

Cujus

Cujus si Ætatem intueris,
Paucos annos deprehendis,
sed fatis multos
optime quippe transactos.
Brevius vitæ curriculum invenies,
sed tale
quod exemplo insignis pietatis vel illis esse potest
qui senectuti summæ propinqui.
Nec enim ætas ex annis sed ex cursu bono æstimanda,
Si vitam;

Insigne pietatis exemplar
Inclytum virtutum complexum
Gloriosum gratiæ divinæ habitaculum
præbuit.

Plures vita sua innocenti erudivit
quàm eruditi libris pluribus.

Scivit
Exempla plus docere
voces Doctorum sæpe vacuas.

Non capit hoc monumentum omnia,
quæ de ejus probitate dici poterant
Ipsa scilicet ingens probitatis monumentum
Afflictorum plurimorum munimentum.

Dolent
se in piæ defuncta perdidisse
Afflicti solatium
Miseri tutamen
Pauperes incrementum
Maritus Gaudium

Illustris STRYKIANA FAMILIA Decus ingens
Omnes thesaurum summum.
Tanta pietate conspicua conspicitur sub hoc tumulo
tumultuantes mundi vanitates superans;
Deo enim vixit
non mundo.

Erat enim in mundo, sed non de mundo,
quomodo enim immundas mundi illecebras sequeretur
cujus cor Deus ab omni immunditie mundi mundaverat?


Sic ergo deprehendis mortalis
qui hoc monumentum attonitus intueris,
piæ defunctam nullam fecisse jacturam.

Qualis enim jactura?
commutasse

Miseriam cum ineffabili gaudio,
Vitam turbulentam, cum statu tranquillitatis

Quo

Quo enim semper adspiravit,
 in quem speravit,
 Ibi, postquam exspiravit, pervenit.
 Nihil antiquius ipsi in hac vita fuit
 quam suavisimum cum Deo commercium,
 Jam plenissime in omnis beatitudinis plenitudine
 eo perfruitur.
 Regnum Dei in se ipsa indefessa quaesivit.
 Jam ad regnum gloriae coeleste evecta,
 Hoc ergo praebit
 Afflictis solatium
 Dum in ejus obitu tot vestigia coelestis animi intuentur.
 Miseris tutamen,
 Dum, cujus tutelae se commiserit, agnoscunt;
 Pauperibus incrementum,
 Dum divitiarum coelestium copiam post se relinquit;
 Marito gaudium,
 Dum Conjugem pie defunctam aeterno gaudio fruente[m] videt;
 Illustri STRYKIANAE FAMILIAE Decus ingens,
 dum tantis splendoribus radiantem in aeterna beatitudine concipiunt
 Omnibus thesaurum summum,
 quem in morte ejus invenient,
 si exemplar ejus sequentur
 Complexum virtutum, sicut ipsa, sibi comparent,
 Et ut habitaculum divinae gratiae gloriosum fiant,
 adspirent
 Non vanis cogitationibus
 Sed sincero sanctoque cordis affectu.
 Tu vero mortalis,
 Satis eruditus hinc discedes,
 si in tempore discessum tuum meditari disces,
 Nec vana quadam eruditione te decipias,
 Vera enim eruditio in pietatis studio.
 Abi,
 Et ut ossa morte frigefacta te incendant
 ferio sed non fero cura.





MONUMENTUM LUGUBRE

NOBILISSIMÆ, O
TIS

MARI
RINÆ

EXCELLENTI
SSIMIQVE

DN. JO
ELIS

J.U. Doctoris & Pr
na Friderici-

UXORI
d. 22. Novem
& ejusdem
MÆ,
efunctæ
tæ,

JUSTO H
öhmer/

Halæ, typis CHRIST
d. Typogr.

